Quod si profitens, vel vovens huic commutationi contradicat, *Sylv. Sanch. & Laym.* adhuc putant priora vota extingui; quia hæc commutatio est a jure, cui non obstat voluntas hominis; alii probabilius dicunt tum non extingui, quia voluntas illa conservatur.

8 4. Sublatio irregularitatis ex defectu natalium. Statuerat quidem Sixtus V. ut filius presbyteri esset inhabilis ad profitendum; sed moderatione facta a Gregorio XIV. intelligitur de eo tantum, cujus pater ante vel post in eadem religione est professus: unde omnes naturales, spurii, nati ex sacrilegio, incestu, adulterio possunt fieri Religiosi, & absque alia dispensatione ordinari, etiam in sacris. Quod si prius ordinati, fiant Religiosi, poterunt eosdem Ordines exercere sine dispensatione, possuntque promoveri ad doctoratum ac publice docere, vide Less. *in auct. v. Professio Religiosa, cas.* 13. Ejusmodi tamen Religiosi manent inhabiles ad Prælaturas & extra Ordinem: item ad dignitates & officia intra Ordinem habentia annexam jurisdictionem ordinariam, qualem habent Abbas, Generalis, Provincialis, Prior, Guardianus, Præpositus, Rector: vult etiam *Suar.* manere inhabiles ad quævis beneficia, sed *Navar. Less. Sanch.* dicunt id verum esse de beneficiis tantum curatis: e contra *Castr.* dicit esse habiles etiam ad curata, quia putat excipi solas Prælaturas: non fiunt tamen apti succedere in bonis paternis, nam professio non reddit absolute legitimos, sed tantum ad effectus aliquos in Ecclesia. Putat autem Rodriq. etiam per noviitatum tolli irregularitatem ex defectu natalium; sed contrarium est tenendum; sic autem tollitur etiam per vota simplicia Societatis JESU; ut si quis ab hac dimittatur, non reincidat in irregularitatem, quod enim semel sublatum est, non reddit sine nova causa, qualis hic non ponitur, Sanch. Castrop. contra Dian. *p.* 4. *t.* 2. *R.* 66. Probabilius quoque est illegitimas Moniales excludi a Prælatura Abbatissæ, & Prioritiæ, quamvis multi apud Dian. *p.* 3. *t.* 2. *R.* 101. contrarium teneant. Vide Leur. *p.* 1. *quæst.* 263. & 264. ubi *quæst.* 271. & 285. explicat, quis cum Regularibus illegitimis dispensare possit ad Prælaturas: aut ut succedere possint parentibus in beneficio, vel Prælatura.

9 5. Habilitatio ad aliquos effectus temporales, uti si ob crimen fuisset inhabilis ad ferendum testimonium, habilitatur per Religiosum statum.

10 6. Extinctio notæ ingratitudinis, ob quam prius contractam a patre exhæredari potuisset, vel privari legitima.

11 7. Irritatio Matrimonii subsequentis, & etiam antecedentis, si sit tantum ratum, & non consummatum.

Qui volet multa particularia de Religiosis, consulat Suar. *de Relig. t.* 4. ubi *t.* 9. *lib.* 2. agit de Religione *S. Basilii, S. Benedicti, Carthusiensium, S. Hieronymi, Prædicatorum, Minorum, Augustinianorum, Carmelitarum*. De ijsdem, uti & de *Brigittanis* habet Loth. *t.* 7. *De Jesuitis* Suar. *tract.* 10. Loth. *supra de Beguinis, Canonessis, Devotessis*, Lot. *t.* 8. 'Et de Canonessis aliqua dicemus *a num.* 229. *De Monialibus* agit Loth. *t.* 22. de variis *Confraternitatibus num.* 229. *De Exemptis & Jurisdictione Episcop.* circa exemptos, agunt Cock. *de jurisd. Ord.* Sanch. *in in Conf. lib.* 6. *cap.* 9. *d.* 1. & *seqq.* Lugo *in resp. Mor. lib.* 5. *d.* 20. 24. 25. Dian. *p.* 8. *t.* 7. *R.* 5. *De privilegiis & juribus Monasteriorum* Engel. *in specialis tract.* post Jus Canonicum Salisburgi impressum anno 1688. Item Alviset *de Privileg. Ordin. Regul.* Pelliz. Af. Tamb. *& alii passim*. Denique cujus auctoritate erigi possit, vel transferri Conventus aut Monasteria, & sub quibus conditionibus, videri possunt citati apud Leur. *p.* 1. *quæst.* 43.

DUBIUM II.

Quæ requirantur ad valores Professionis Religiosæ?

12 Resp. Ad valorem ejus, tres requiruntur conditiones:

„ I. Est qualitas, seu aptitudo voventis, scilicet, ut juxta Trid. *sess.* 25. *cap.* 15. *de Regular.* decimum sextum ætatis „ annum expleverit, annumque integrum cum Religioso habitu „ steterit in probatione, nullumque habeat impedimentum, „ quod per statuta a Pontifice confirmata in isto Ordine subsantiale esse censeatur, Azor. *t.* 2. *lib.* 12. *cap.* 2. *quæst.* 6. & „ 7. Rodriq. *t.* 2. *cap.* 6.

„ II. Conditio, consensus, & acceptatio expressa vel tacita „ Prælati Ordinis: per hanc enim Religioni incorporari debet. „ Idque ordinarie, non tantum cum consilio, sed etiam cum „ consensu Capituli, aut certe majoris aut principalioris partis; „ secundum cujuscumque Ordinis statuta, Navar. Less. *lib.* 2. „ *cap.* 41. *d.* 7.

„ III. Ut professio sponte facta sit, non cogente gravi metu, „ qualis esset incarceratio, alimentorum subtractio, eo quod in „ professionem consentire noluerit; itemque metus reverentialis, non quidem se solo, sed accedente precum, blanditiarum, „ & imperii, sæpius repetita importunitate, aut gravi offensione, aut diu continuata indignatione consanguineorum, adjunctis etiam minis de subsidiis negandis, si ex Religione „ egrediatur: hæc enim, vel singula, vel certe simul, considerata conditione hominis rudis, timidi &c. metum justum incutere possunt, & professionem irritare, ut docent Laym. „ cum aliis *lib.* 5. *tract.* 5. *num.* 6. Less. *d.* 6. *Unde resolvuntur „ sequentes Casus*:

„ I. Is, qui professionem irritam edidit ex defectu alicujus „ conditionis ex jam dictis, nisi eam postmodum tacite, vel expresse ratificaverit, egredi Religione, & uxorem ducere potest, licet ob evitationem scandali, causam egressus dicere „ debeat: & si ad forum externum causa deveniat, defectum „ professionis probare, idque intra quinquennium a die professionis: post illud enim non auditur, juxta Trid. *cap.* 19. *Sess.* „ *eadem*, quia præsumitur eam interea ratificasse.

„ II. Quod si tamen sciret, illam juris præsumptionem falsam „ esse, eo quod vel ignorans impedimentum, vel metu gravi, „ aliave justa causa impeditus, reclamare intra quinquennium „ non potuerit; vel impedimentum sit essentiale ac perpetuum, „ aut saltem ultra quinquennium duret, eo elapso potest reclamare, debetque audiri in judicio, saltem extraordinario, vel „ in integrum restitui, ut contra Bon. *t.* 1. *de clauf. quæst.* 2. *p.* 10. „ *diffic.* 4. docent Nav. Sanch. *de Matr. lib.* 7. *d.* 37. *num.* 22. Less. *d.* „ 7. Azor. *cap.* 4. *quæst. ult.* Dian. *p.* 3. *t.* 2. *R.* 53. Barb. in Trid. *sess.* „ 25. *cap.* 16. *num.* 8. ubi plures alios citat: nisi aliud quid impediat fugere potest, ut docet Laym. *num.* 7. qui addit, quod si „ fuga sine gravi scandalo, vel metu incommodo tentari non possit, „ monendum a Confessario, ut professionem tacite ratificet: quod „ fiet, si professorum habitum proprium deferat actusque iis „ proprios exerceat, cum intentione, quod professus talis Ordinis esse velit, *v. Auct. cit.* & Dian. *p.* 8. *t.* 7. *R.* 51. ubi ex Trid. „ *cap.* 16. probat, Episcopum de nullitate professionis, sine interventione Superioris Regularis sententiam ferre non posse, „ & si faciat, fore nullam.

ADDENDA.

13 *Quæst.* 3. *An unquam possit emitti professio ante ætatem vel novitiatum prærequisitum?* Resp.

§. 1. Etiamsi tantum sex horæ deessent ætati, professio est invalida, uti ex declaratione S. Congreg. docet cum aliis Dian. *p.* 5. *t.* 5. *R.* 18. attendi enim debet ad momentum: communis cum Pignat. *tom.* 9. *consult.* 173. *num.* 57. & 82. hinc cum Mol. Sanch. Dian. Less. Barb. *de potest. Episc. alleg.* 101. *num.* 22. dicendum est contra *Sylv. Henriq. Ricc.* si quis natus, vel admissus 24. Februar. postea anno bissextili compleat ætatem, vel novitiatum, non posse profiteri nisi die 25. post tempus, quo natus vel vestitus erat, quia duo dies censentur pro uno, uti habetur *lib.* 3. §. 3. *ff. de minoribus, & cap. Quæsivit, de verb. signific.* & pluribus deducit Lugo *de just. d.* 22. *a num.* 311. Ratio autem est, quia dies illa intercalaris adhuc addit partem temporis necessariam ad constituendos annos, vel annum prærequisitum, etiam more Ecclesiastico consideratum. Attamen extra annum bissextilem putarem contra Lugonem *num.* 312. sufficere dies 365. nec necessario expectari debere alias sex horas, quia absque his est annus completus, non quidem Mathematice, attamen Ecclesiastice, refertque Pelliz. *tract.* 2. *cap.* 1. *num.* 36. cum anno 1582. in correctione Gregoriana Kalendarii dubitatum esset, an pro eo anno complendo adjiciendi essent illi 10. dies, qui hactenus defuerant, negatum esse, eo quod annus sine eis esset civiliter, & politice completus.

14 §. 2. Quamvis professurus in Societate JESU debeat complevisse annum 33. si tamen, sive per fraudem sive per errorem aliquis maturius profiteatur, professio est valida, & professo competunt a die professionis omnia, quæ aliis: quia nec est impedimentum essentiale, nec Societas illi defectui addit aliquid irritans, Lugo *in resp. mor. lib.* 4. *d.* 21.

15 §. 3. Si quis in Societate JESU emittat professionem ante diem a Generali designatum, professio videtur invalida, quia Generalis non videtur voluisse acceptare, nisi designato tempore: censetur tamen ex voluntate illius fieri valida adveniente die designato, si permaneat voluntas illius, qui professus est, Lugo *dub.* 13.

16 §. 4. Ex privilegio S. Pii V. apud Barb. *num.* 37. poterunt Novitiæ Ordinis S. Dominici intra Novitiatum ex judicio Medici morituræ emittere professionem ante expletum novitiatum; quod revocatum esse per Greg. XIII. docent *Sa, Crux, Vechis*, sed adhuc perdurare dicunt *Henriq. Rodriq. Diana, Miranda, Sanch. Beja & alii*. Hinc, cum communi docet Pignat. *num.* 54. tempus Novitiatus debere esse completum ad momentum.

17 §. 5. Pœnitentes ac Conventitiæ, de quibus loquitur Trid. *sess.* 55. *cap.* 18. *de Regul.* possunt facere professionem ante expletum novitiatum, uti declaravit S. Congreg. apud Barb. *num.* 34. quia Trid. præservat earum Constitutiones: habuerunt autem id privilegium, ut eo ipso, quod ingrederentur Monasterium, posset admitti ad professionem.

18 *Q.* 4. *Quid circa interpretationem novitiatus sit notandum?* Resp. Seqq. §. 1. Si Cajus dimissione obtenta dimiserit etiam habitum, & animum manendi in Religione, sed nocte illa adhuc dormiens in Monasterio, pœnitentia ductus iterum admitti petat, & obtineat, ac resumat altero die mane habitum, Less. *in Auct. v. Professf. Relig. cas.* 3. putat probabile esse, quod novitiatus non debeat censeri interruptus, quia hoc tempus fuit parvum, & in hac materia videtur dari parvitas, uti plures tenent apud Dian. *p.* 5. *tract.* 5. *R.* 19. sed probabilius est cum Navar. Suar. *de Relig. t.* 3. *lib.* 7. *cap.* 1. *num.* 32. Sanch. *in Dec. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 20. & 32. Castrop. *t.* 16. *d.* 1. *p.* 12. §. 3. *num.* 2. Lugo *in resp. mor. lib.* 4. *d.* 2. *num.* 1. Less. *cas.* 8. *num.* 22. esse interruptum, adeoque non posse valide profiteri, nisi iterum inchoet & compleat annum novitiatus, quod putant valere, etiamsi per unicam horam facta esset interruptio, quia requiritur continuitas temporis annui, uti late probant Suar. *num.* 2. Sanch. *num.* 30. Lugo *lib.* 3. *d.* 2. *num.* 3. Less. *de justit. lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 59. refertque pro hac sententia plurimos Barb. *de potest. Episc. alleg.* 101. *num.* 23. quia nempe sic optime exploratur disciplina, & austeritas Ordinis, deinde debet etiam tulisse habitum per annum continuum, uti ex Trid. colligunt Azor. Rodriq. Sanch. alique cum Barb. *num.* 29. deest autem continuitas, nam illo intermedio tempore non poterat censeri novitius illius Ordinis. *Nec obstat*, quod interruptio fuerit brevis, nam adhuc deficit continuitas, quæ erat de essentia, uti recte Suar. *num.* 6. Sanch. *n.* 32. Castr. *n.* 4. debetque etiam hoc tempus totum absolvi de momento ad momentum, inquit Dian. *p.* 3. *t.* 2. *R.* 57. & *p.* 9. *t.* 9. *R.* 67. & quamvis Less. *in auct. supra cas.* 3. innuat probabile esse, *& de justit. supra* absolute dicat credere se, quod non impediat paucorum dierum interpolatio, sed suppleri possit, postea addendo tempus factæ interruptionis; tamen oppositum videtur tenendum, quia per hoc non redit continuitas; unde additio talis temporis tum tantum posset juvare, si v. g. post inceptum novitiatum prius compleviset ætatem requisitam, uti multis relatis docet Sanch. *de Matr. lib.* 7. *d.* 37. *num.* 50.

19 §. 2. Ut Cajus ita dimissus possit iterum incipere novitiatum, debent illi, ad quos spectat, iterum admisisse ipsum, quia sic dimissus habuit se, ac si nunquam fuisset admissus, Suar. & alii cum Lugo *num.* 9.

§. 3.

20 §. 3. Si Cajus non fuerit dimissus, quamvis dimisso habitu, & animo manendi latuerit in Monasterio, expectans occasionem egrediendi, Suar. & Castrop. *num.* 7. recte dicunt contra Dian. *supra*, non esse factam interruptionem; uti nec tum, si Superior indutum veste sæculari voluisset prius dimittere; in his enim casibus censetur adhuc manisse in Ordine, cum non fuerit voluntate Superiorum dimissus, & saltem per hoc non censetur esse plena interruptio, nisi fuerit completa simul per actualem egressum.

21 §. 4. Si novitia apud Moniales etiam ad clausuram obligatas ob infirmitatem vel aliam causam necessariam debeat ad tempus remitti ad paternas ædes, potest hic cum facultate Prælati continuare suum novitiatum, Suar. *t.* 3. *lib.* 5. *cap.* 14. *num.* 13. dicens esse decisum a S. Congreg. Sanch. *in Dec. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 28. Pelliz. *tract.* 10. *cap.* 2. *num.* 48.

22 *Q.* 5. *Si quis absoluto novitiatu dimittatur, & postmodum iterum admittatur, an repetere debeat novitiatum?* Resp. Negant Sanch. *in Dec. lib.* 5. *cap.* 4. *n.* 34. aliique cum Lez. *t.* 4. *v. professio n.* 10. quia a Tridentino plus non requiritur, quam ut præcesserit novitiatus, in quo probarit Ordinem, & ab Ordine sit probatus, quod hic factum est: e contra debere repetere putant Suar. & Castrop. *t.* 16. *d.* 1. *p.* 12. §. 2. *num.* 10. tum quia prior probatio videtur esse extincta per egressum, tum etiam quia multi censent, annum probationis debere sic esse continuum, ut duret usque ad professionem, quamvis contradicant Angel. Sylv. Rodriq. & alii apud Barb. *de potest. Episc. alleg.* 201. *num.* 23. & 28. sed saltem vera est secunda sententia inquit Lug. *in resp. mor. lib.* 4. *d.* 1. si quis in Societate JESU post novitiatum, & vota simplicia dimissus fuerit, iterumque admittatur, quia tunc primus novitiatus habuit suum effectum, nempe admissionem ad vota: ergo pro nova admissione ad nova vota prærequiritur nova probatio, quod pluribus confirmat *Lugo* ibidem, quamvis cum tali sæpe congruum sit dispensare post primum annum repetiti novitiatus.

23 *Q.* 6. *Quid sit præterea notandum circa valorem, vel invaliditatem, & revalidationem professionis?* Resp. seqq. §. 1. Si hermaphroditus, in quo uterque sexus erat æqualis, fecerit professionem, Sanch. *de Matr. lib.* 7. *d.* 106. docet hanc esse nullam, cum enim sit gravis indecentia, & periculum gravium abusuum, credendum est Ecclesiam non admittere talem professionem, aut antecedenter velle talem hominem esse incapacem. Si Monialis professa mutato sexu fiat vir, docet cum aliis Pignat. *tom.* 4. *consult.* 34. desinere esse professam, imo professionem ab initio fuisse irritam, quia ab initio fuit vir, licet id ignoraretur.

24 §. 2. Si Titio post professionem certo innotescat, quod non fuerit recte baptizatus, potest egredi, quia nulla Religio intendit recipere quemquam nisi Christianum, & Ecclesiæ subjectum: si autem esset tantum dubium de valore Baptismi, & ideo sub conditione rebaptizetur, debere in Religione permanere, tum quia Religio est in possessione illius, a qua dejici non debet per solum dubium superveniens, tum etiam, quia in dubio standum est pro valore actus, donec constet oppositum, uti habent Menoch. *lib.* 6. *præsump.* 4. Tusch. *v. præsumptio, concl.* 620. Hinc videtur dicendum, quod teneatur votis Religionis, aut saltem teneatur nunc ratificare professionem, quia Religio, in qua alitur, jure id postulat ab eo. Quintanad. Gob. *in Exp. t.* 2. *num.* 461. quia addit ex Gallem. ad Trid. *sess.* 25. *cap.* 16. *de Regul.* quod S. Congreg. 10. Decemb. 1588. resolverit professionem ad majorem cautelam debere iterum emitti expectato alio anno novitiatus, e contra Sylv. *v. Baptismus cap.* 3. dicit resolutum esse, ut iterum emittat professionem non expectato alio anno novitiatus, quod etiam videtur verosimilius, docetque Suar. *de Relig. t.* 7. *lib.* 7. *cap.* 1. *num.* 8. allegans etiam hanc declarationem; hinc infert Sylv. etiam debere censeri professum a tempore professionis primo emissæ, quia ipsi favet possessio, videri potest Suar. *toto cap.* 1. & 2.

25 §. 3. Statuerat *Sixtus V.* ut invalida esset professio quorumdam criminosorum; item illius, de cujus vita, moribus, ætate non esset capta informatio; sed *Clemens VIII.* restituit ejusmodi professioni valorem, relictis tantum pœnis aliis contra Superiores, qui criminosos, aut non præmissis informationibus aliquos admisissent ad professionem, uti refert Lugo *in Resp. Mor. lib.* 4. *dub.* 1. Idem *Clemens* statuit, ut professio sit nulla, si Novitiatus, vel professio non fiat in loco designato, & de his videri potest Pignat. *tom.* 9. *consult.* 173. *a num.* 55. & *consult.* 175. *a num.* 12.

26 §. 4. Si quis professurus & interrogatus tacuerit crimen, quo manifestato fuisset rejectus, peccavit graviter, si inde possit redundare grave incommodum in Religionem, quia videtur esse contractus mutuus, in quo saltem quoad accidentia committitur gravis fraus: imo si Superiores fuerint animo ita comparati, uti nollent admittere ad professionem, si tali crimine notatus esset, professio foret invalida: e contra si simpliciter consenserunt, & reticentia illa parum aut nihil nocere posit Religioni, *Lugo* supra putat adhuc non omnino excusandum esse talem dolum, & communiter saltem aderit mendacium.

27 §. 5. Quamvis in statutis alicujus Ordinis dicatur, Ordinem non obligari retinere aliquem, qui in examine reticuerit certum aliquem defectum, id tamen videtur intelligendum tantum pro tempore novitiatus, vel ante professionem: hinc si profiteatur etiam mala fide, non ideo professio est invalida, Less. *in auct. 1. Professio Religiosa cas.* 9. Si autem quis profiteatur cum defectu alicujus ordinariæ prærequisiti, v. g. si examinatores Titium Societatis Jesu Scholasticum exclusserant a professione ob defectum scientiæ, & Generalis nec exclusserit, nec positive admiserit, attamen per errorem Secretarii relatus sit inter professuros, sicque profiteatur, putat Lugo *lib.* 4. *d.* 43. professionem esse validam, quia videtur esse error tantum in qualitate, cum certum sit Generalem posse etiam indoctum admittere ad professionem; sed oppositum videtur probabilius: nam mens Generalis præsumitur semper esse, quod admittat suppositis supponendis, quæ hic non sunt: recte tamen addit *Lugo* esse causam, cur Generalis cum Titio dispenset, & suppleat, dummodo Titius remaneat in voluntate profitendi.

28 §. 6. Si Titio facta sit spes officii, & ideo in certo Monasterio profiteatur, postea autem officium illud non obtineat, quamvis intenderit officium tanquam finem principalem, professio est valida, nec potest egredi, quia absolute professus est, licet per accidens finem indifferentem adjunxerit: imo non obstaret, licet ex fine malo esset professus: sic enim si quis motus vana gloria voveat dare eleemosynam, tenetur dare, non quidem ex vana gloria, sed ex alio fine saltem indifferente: imo quamvis sit professus, ita intendendo illud officium, ut si sciuisset se non obtenturum non fuisset professus, adhuc valet professio, quia officium erat tantum conditio, fine qua non fuisset facta professio, jam autem facta est absolute: si tamen non intendisset se obligare, nisi obtineret illud officium, peccasset mortaliter decipiendo Religionem, & agendo contra morem debitum, esseque professio conditionata, adeoque non impleta conditione non obligaret, sed posset egredi, Less. *v. Religiosus cas.* 7.

29 §. 7. Si quis invalide professus non reclamarit intra quinquennium, produxeritque causas coram Superiore suo, & Ordinario, uti habet Trident. *sess.* 25. *cap.* 19. *de Regul.* de quo videri possunt multa apud Pignat. *tom.* 9. *cons.* 173. 176. 180. 182. 183. aliquid addam *num.* 52. attamen etiam non ratificarit professionem; quamdiu non potest se expedire ab Ordine, gaudet privilegiis & potest absolvi, uti alii Religiosi, quia præsumitur esse talis, donec contrarium per sententiam declaretur, quæ præsumptio sufficit ad jurisdictionem; possetque ad Ordines & Superioratum promoveri, nisi expresse reclamaret & diceret se ratificare non velle, tum enim tantum posset permitti in usu Ordinis recepti, non autem promoveri ad alium, Sanch. *de Matr. lib.* 7. *d.* 37. *quæst.* 5. est enim sæcularis, & eget dimissorialibus, item titulo patrimonii, vel beneficii; nec posset ferre suffragium in Capitulo, nec acceptare munus Superioris, quantum declinari posset sine scandalo, & infamia; similiter non posset absolvi a reservatis per Confessarium Ordinis, nisi eo modo, quo alius sæcularis, quia desiisset præsumptio, ac consequenter jurisdictio, Less. *v. Prof. Relig. cas.* 18.

30 §. 8. Quamvis Titius putans se valide esse professum postea sæpius renovaverit priora vota, non ideo censetur illa ratificasse, quia non voluit plus circa illa facere, quam initio fecerat, Less. *cas.* 10. Lugo *dub.* 2. *num.* 4. Castr. *t.* 16. *d.* 2. *p.* 5. *num.* 3. Si tamen scriverit, vel dubitarit, an prior actus non fuisset invalidus, aut expresse intenderit actum validum ponere, si forte antea non potuisset, tum ratificasset, Less. *cas.* 18. aliique cum Castr. *supra*.

31 §. 9. Si Titius nesciens se invalide professum velit in Religione manere, Castr. *supra* docet requiri, ut Superiores de novo consentiant, adeoque ut manifestet priorem nullitatem, sed Suar. *t.* 3. *lib.* 7. *cap.* 1. *num.* 35. Less. *cas.* 5. & 6. item *cas.* 15. *num.* 42. Sanch. *in Dec. lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 81. Lugo *d.* 2. *num.* 5. & 6. *item d.* 16. *num.* 8. probabilius dicunt non teneri manifestare nullitatem suæ professionis, vel petere novum Superioris aut conventus consensum, quamdiu prior non est revocatus, adeoque satis esse, si professionem ratificet omnino secrete, quod colligitur ex Trid. *sess.* 25. *cap.* 19. *de Regul.* ubi non vult audiri eum, qui intra quinquennium non reclamavit, quia nempe præsumitur tacita ratificatio: ergo hæc est sufficiens ad revalidationem professionis, & Papa supplet renovationem consensus Religionis, si expresse non contradixerit, uti tenent Less. *de Justit. lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 60. & Sanch. *de Matr. lib.* 7. *d.* 37. *num.* 64. Putant autem aliqui cum Castrop. *num.* 5. ad hoc prærequiri etiam delationem habitus saltem per quinquennium: sed probabilius tenet oppositum *Less.* cum aliis, quia gestatio habitus per annum post novitiatum facit præsumi professum.

32 §. 10. Quamvis secundum jam dicta ad revelationem professionis aliquando sufficiat consensus a solo profitente renovatus, tamen si etiam ex parte Religionis positus fit consensus etiam aliunde invalidus, etiam ex hac parte requiretur revalidatio consensus: cum enim prior consensus fuerit nullus, quamvis virtualiter permaneret, adhuc esset nullus, quia quod ab initio est invalidum, tractu temporis non convalescit, nisi superveniat aliquid faciens illud convalescere, quod hic non esset, uti suppono, Suar. *num.* 20. Sanch. *num.* 63. Lugo *dub.* 21. *num.* 6.

33 §. 11. Si professio fuit invalida, quia novitiatum non compleverat, vel quia illum interruperat, certum esse putant Castr. *num.* 6. & alii apud Lugo *d.* 2. *num.* 8. & 9. quod reiterari debeat novitiatus, adeoque nullitas sit manifestanda Superioribus, quia secundum dicta *num.* 13. jura invalidant professionem sine prævio novitiatu factam, in hoc autem casu non præcessit novitiatus. Si autem novitiatu integre absoluto professio aliunde sit invalida, Nav. Suar. *num.* 34. *aliique num.* 22. relati dicunt esse probabilius, quod requiratur novus novitiatus; alii cum Castr. *num.* 7. negant, cum reipsa sit probatus, & ipse etiam probarit statum: imo Less. *supr.* & Sanch. *num.* 64. dicunt etiam id probabiliter verum esse, licet fuerit defectus completi novitiatus, quia censetur postea supplere vivendo in Religione, sed contradicit Suar. *num.* 30. eo quod, si putetur esse professus, non censeatur amplius probari; ideoque dici non possit suppleri tempus deficiens, vide dicta *num.* 22.

34 §. 12. Si Titius sit invalide professus, quia nescivit requiri talem ætatem, vel putavit se eam habere, non potest ideo ejici; & videtur esse contra justitiam, si ideo ejiciatur, quia redditur infamis absque sua culpa, Less. *in auct. v. Prof. Relig. cas.* 6. *num.* 14. Si tamen tunc tale quid in eo advertatur, ob quod ex novitiatu dimitti posset, poterit etiam nunc dimitti. *Nec juvat*, si vellet ratificare professionem, *quia* ubi voluntas Superioris est contraria, professio est invalida, nec Ecclesia supplet consensum: quod si tamen quinquennium effluxisset, dimitti non posset, quia præsumeretur ratificasse ante contradictionem Superiorum, & Ecclesia tunc supplet.

35 §. 13. Si invalide professus ita tacite ratificet professionem, potest gaudere privilegiis omnibus, quæ habent antiqui præjunioribus, quia in foro externo censeri debet professus ab eo

tempore, quo professionem primam fecerat, quamvis invalidam, Castrop. *num.* 10. Et quod possit eligi in Prælatum, dicit probabile esse Suar. *num.* 37. si defectus professionis manserit, ac sit ita occultus; ut de illo non possit constare in foro Ecclesiæ, est enim reipsa professus, & talis in foro externo habetur a tempore, quo primo emisit.

36 §. 14. Qui ignorans est invalide professus, acquirit sibi & non Monasterio, quod interea acquirit, quia mansit capax dominii acquirendi, nec fuit Monasterio subditus. *Neque refert*, quod putarit se acquirere Monasterio, *nam* erat error in substantia, qui impedebat valorem consensus, Less. *cas.* 6. & 7. & etiam diximus *lib.* 3. *p.* 2. *a num.* 612. estque simile, si quis solvat indebitum, aut donet Titio extraneo, quem putabat esse Cajum cognatum. Similiter talis invalide professus potest secum auferre omnia sibi donata ab amicis aut cum venia Superiorum empta ex datis sibi eleemosynis, etiam data ab aliis Confratribus, si illi habebant facultatem alienandi in extraneos, nisi forte omnia ista censeretur absolute voluisse comparare Monasterio in dominium, sibi autem in merum usum: non posset tamen secum auferre ea, quæ accepit in communi divisione, v. gr. aliquo Fratre mortuo, quia per errorem venit in talem partitionem: eo quod putaretur Frater Ordinis, cum tamen non esset: quod si ipse etiam donasset aliqua Monasterio, eo quod putasset se esse professum, Monasterium teneretur ei restituere, quia omnis donatio, & cessio juris, cujus principalis causa est in errore fundata, est involuntaria & irrita; poterit tamen Monasterium repetere compensationem alimentorum, uti habet Less. *cas.* 6. *num.* 15. sed hoc videtur intelligendum de alimentis post novitiatum, uti dicetur *num.* 54.

An simplex Religiosus possit de licentia Superioris recipere alterius professionem, discutit Dian. *p.* 3. *t.* 2. R. 70. affirmans cum aliis contra *Valerum*. Posse autem Generalem Ordinis, etiam Societatis JESU, id committere etiam externo, v. gr. Episcopo, docet Lug. *lib.* 4. *d.* 14. *ubi num.* 9. addit cum *Suar.* & aliis professionem valide emitti per procuratorem. Denique an valide professus teneatur ad castitatem vi voti simplicis inclusi in solemni, dicetur *num.* 158.

37 *Q.* 7. *An Berta possit Religionem petere, & profitere inter virgines, si virgo non sit.* Resp. quandonam amittatur virginitas, dictum est *lib.* 3. *p.* 1. *num.* 917. quo supposito,

§. 1. Certum videtur, si virginitas sit amissa tantum per voluntariam pollutionem, Bertam posse inter virgines consecrari & velari; ita cum communi tenent Caj. Armill. Laym. Sporer *in Dec. t.* 5. *in app. post cap.* 3. *num.* 5. quis licet coram Deo non sit virgo, nec in cœlo sit habitura coronam virginitatis, retinet tamen tamdiu statum virginitatis coram Ecclesia, quamdiu clausirum non violatur ab extrinseco, hinc qui talem vi violaret, censeretur esse stuprator.

38 §. 2. Si amiserit virginitatem per copulam, docet Suar. *t.* 4. *tract.* 9. *lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 2. *& seqq.* non peccare petendo admissionem inter virgines, nisi forte essent speciales Constitutiones alicujus Ordinis, per quas excluderetur non virgo etiam occulta. Ratio est, quia viduæ, vel non virgines nullo jure prohibentur admitti, potestque talis occulte corrupta se gerere pro tali, qualis in æstimatione communi habetur: si tamen esset publice infamis, pro illa essent alia Monasteria.

39 §. 3. Si Caja sciat hunc occultum defectum Bertæ, non tenetur huic negare suum suffragium pro admissione, quia non ideo notabile damnum orietur Monasterio, & prævalet tum utilitas, tum fama Bertæ: si tamen Cajæ occurrerent graves rationes in contrarium, deberet petere loqui Bertæ privatim, eique dissuadere, Less. *in auct. v. Monialis*, *cas.* 3.

40 §. 4. Si res maneat occulta, Berta potest acceptare velum professionis, & consecrationis, ut virgines solent, Less. *v. Consecratio*, *cas.* 3. Putant quidem *S. Thom. Caj. Pal. Nav. Sylv. Sa*, & alii fore mendacium, si in consecrationis formula dicatur virgo: addit Spor. *num.* 6. esse gravem indecentiam, si Sacramentalibus, quale quid censetur consecratio virginis, uti & benedictio salis vel aquæ, supponatur aliquid falsum, sicuti hic videtur fieri, sed Suar. *num.* 9. probabiliter dicit hic nihil fore mendacii vel falsi, quod etiam probabile esse fatetur Sporer, quia unusquisque censetur loqui in eo foro, in quo operatur: ergo cum sit virgo in foro externo, poterit publice, & in actu fori externi nominari talis; neque jura imponunt hanc pœnam privationis veli velut impedimentum, sed tantum præcipiunt Prælatis, ne consecrent fœminam corruptam: ergo quando res est occulta, potest exterius se gerere talem, qualis in communi opinione habetur: & ex eodem fundamento docet cum aliis Diana *in comp. v. Legatum num.* 21. si quid legatum sit virginibus, posse tuta concientia acceptari & retineri ab ea, quæ habetur virgo, licet sit corrupta, quamvis Beja *p.* 1. *cas.* 21. doceat, si legatum sit sub conditione, si caste vixerit, non posse retinere, quamvis secreto tantum esset luxuriosa, sed videri possunt dicta *lib.* 3. *p.* 2. *num.* 604.

41 §. 5. Quamvis Superior & Conventus admittendo Bertam ad professionem fuerint tta constituti, uti si scivissent non esse virginem, non admisissent, si tamen ea conditio non sit addita, uti addi non solet; nec debet, professio est valida, quia ista comparatio animi habet se per accidens, nec impedit admissionem absolutam, Less. *supra*.

42 §. 6. Quamvis aliqui putent ejusmodi corruptam esse inhabilem ad officia, v. gr. Abbatissæ, vel Priorissæ, probabilius tamen est contrarium cum Suar. *t.* 4. *tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 16. Sanch. *in Dec. lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 22. Castr. *t.* 16. *d.* 2. *p.* 8. *num.* 13. & idem de viduis docent multi cum Dian. *p.* 3. *t.* 2. *R.* 99. quia jura, quæ videntur contraria, tantum loquuntur de illis Abbatissis, quæ consecrari debent formula solis virginibus propria, quamvis & de occulte corruptis possint intelligi ea, quæ dicta sunt *num.* 40.

Q. 8. *Quid dicendum sit de illo, qui cogit aliquem ad Religionem, vel ea ad impedit, item qui cogit ad renuntiandum bonis suis priusquam ingrediatur, vel exheredat, quia ingressus est.* Resp. seqq. §. 1. Cogens aliquem ad religionem peccat mortaliter, quia quivis habet jus libere sibi eligendum statum vitæ: ergo qui agit contra hoc jus, est injurius, & quidem in re gravi: ergo peccat mortaliter. Et Trid. quidem *sess.* 25. *cap.* 17. *de Regul.* ut coactionem impediret ac magis consuleret libertati virginum Deo dedicandarum, decernit, ut nulla puella professionem emittat, priusquam Episcopus, vel ejus Vicarius, a Præfecta Monasterii monitus exploret ejus voluntatem, intentionem, & aptitudinem.

§. 2. Qui aliquam cogit ad Monasterium, incurrit excommunicationem, uti habet Thid. *cap.* 18. *Anathemati sancta Synodus subjicit omnes & singulas personas cujuscumque qualitatis, vel conditionis fuerint, si quomodocumque coegerint aliquam virginem, vel viduam aut aliam quamcumque mulierem invitam, præterquam in casibus in jure expressis, ad ingrediendum Monasterium, quique consilium, auxilium vel favorem dederint, quique scientes eam non sponte ingredi Monasterium, quoquo modo eidem actui, vel præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint.* 44
Quod Nav. Led. Zerol. Barb. Fill. & alii cum Delb. *de Imm. Eccl. cap.* 8. *d.* 10. *sect.* 10. extendunt etiam ad parentes, qui filiam puberem cogunt ad solam habitationem in Monasterio, non autem si impuberem, quia illi, quibus incumbit educatio, possunt committere Religiosis usque ad annos pubertatis, uti tenent cum communi Suar. Sanch. Portel. Delb. *num.* 2.

§. 3. Qui cogit aliquem ad Monasterium, quamvis mortaliter peccet, secundum dicta *num.* 43. tamen non incurrit excommunicationem, quia *Trid.* loquitur tantum de fœminis, nec debet lex odiosa extendi ad mares: & ratio congruentiæ esse potest, quia fœminæ sunt animo imbecilliores, & arctius postea includuntur: ergo decuit magis provideri illis, ut omnino solutæ vi ac metu ex sua libertate Religionem eligerent. 45

§. 4. Qui levi metu fœminam impulsisset ad Monasterium, non esset excommunicatus, quia non fecisset veram coactionem, uti nec ille censetur facere, qui ad Monasterium adigit eam, quæ prius voviisset, vel jurasset ingredi, tum enim juste attinetur ad explendam suam obligationem, *Suar. Sanch. Leand.* & alii. Addit Delb. *num.* 6. cum *Ricc. Portell. Villal.* etiam non excommunicari parentes, qui metu reverentiali, aut precibus importunis filiam impellunt in Monasterium, eo quod non sit proprie coactio: uti nec per hoc cogit, si filiam scribat hæredem, cum pacto ut ingrediatur, alioquin habeat solam legitimam, & ita declarasse Sac. Congregationem testatur Suar. *de Relig. t.* 3. *lib.* 5. *cap.* 9. 46

§. 5. Qui impedit aliquem vel aliquam ab ingressu Monasterii, v. g. negando illi dotem, peccat mortaliter: uti habet communissima cum Sanch. *de Matr. lib.* 4. *d.* 26. *num.* 7. & diximus *lib.* 3. *p.* 2. *num.* 437. quia proles habet jus ingrediendi Religionem: ergo etiam ad dotem ad hoc necessariam: Estque statutum in Jure multis locis, teste Less. *in disp. de statu vitæ elig. quæst.* 1. ut quivis adepta pubertate sit sui juris, & liber patria potestate quoad ingressum Religionis. An autem ille, qui impedit, vel abducit aliquem a Monasterio, peccet contra justitiam, diximus *lib.* 3. *p.* 2. *a num.* 347. 47

§. 6. Qui a Religione impedit aliquem, non excommunicatur, sed solum ille, qui impedit aliquam, nam Trident. subdit: *Simili quoque anathemati subjici eos, qui sanctam virginem, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo sine justa causa impedierint*; putatque Less. *quæst.* 8. hoc tenere etiam de illo, qui impedit solo metu reverentiali; notatque tamen Suar. *post num.* 9. non fore excommunicatum, si per preces vel promissiones abducat, quia hoc non est proprie impedire, sed tantum persuadere, ut voluntas mutetur, vel non habeatur: an autem sic peccetur mortaliter, diximus *t.* 3. *p.* 2. *num.* 345. 48

§. 7. Extrahens puellam etiam invitam e Monasterio, in quo non intendebat profiteri, sed ad solam educationem habitare, non incurrit excommunicationem, Lugo *in Resp. Mor. lib.* 3. *dub.* 7. an autem peccet, pendet ab intentione, & damnis, quæ forte causat puellæ. 49

§. 8. Cogens volentem ingredi Monasterium, ut renuntiet bonis suis, peccat mortaliter, quia vult invito eripere jus notabile: est autem talis renuntiatio invalida, utpote involuntaria, aut saltem a jure reprobata, uti ostendit Sanch. *cons. lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 34. *num.* 5. Si tamen ingressurus Monasterium juravit se non revocaturum, nec usurum beneficio rescindendi, tenebitur stare renuntiationi, uti recte Sanch. *num.* 6. & Lugo *de Just. disp.* 22. *num.* 195. potest tamen ei succurri per dispensationem in juramento, tumque licite repetet omnia sua, Lugo *supra*, & *in Respons. Moral. lib.* 6. *d.* 24. Sanch. *de Matrim. lib.* 4. *d.* 9. Tamb. *in Decal. lib.* 5. *cap.* 4. §. 3. & diximus *lib.* 3. *p.* 2. *a num.* 732. 50

§. 9. Non potest filius aut filia, ideo exhæredari, aut privari legitima, quia ingressus est Religionem, uti Less. *quæst.* 11. late probat, 1. ex Jure Civili, *Novell.* 123. *cap.* 37. 38. 41. *Auth. si qua mulier, Cod. de SS. Eccles. Auth. Nisi rogati*, C. *ad S. C. Trebellianum*; idemque docent communiter DD. cum Felino *in Cap. In Si qua mulier*, & *Cap. Non liceat*, 19. *quæst.* 3. 3. Ex S. Greg. *lib.* 7. *Epist.* 7. item disertissime ex Salviano *lib.* 3. *contra avaritiam*. 4. Rationibus manifestis in aperto jure fundatis. Atque ex his sequitur aliquem, qui Religionem init, non ideo posse privari pensione annua sibi agnata in bonis donantis, uti recte idem Less. *in auct. v. Religiosus cas.* 1. 51

Quid dicendum sit, si Bertæ promittantur 100. si nubat, ipsa autem fiat Religiosa? resolvimus *lib.* 3. *p.* 2. *num.* 600. Si autem promittantur sub conditione, si non ineat Religionem, resolvimus ibidem *num.* 1140. Denique si promittantur 200. si nubat, & 100. si fiat Religiosa, resolvimus ibidem *num.* 1141. quæ videri possunt.

Q. 9. *Quid notandum sit circa illum, qui dicit se ex metu reverentiali fecisse professionem?* Resp. Quamvis metus reverentialis cum importunis precibus conjunctus pro foro conscientiæ censeatur sufficiens ad rescindendos contractus, ut colligitur ex dictis *lib.* 3. *p.* 2. *n.* 632. 52

& docet

& docet Less. *de statu vitæ elig.* 7. 8. tamen in foro externo merito censetur sufficiens ad irritandam professionem, nisi accesserint minæ, quas minas solitus sit exequi, & tum ex vi talis metus sequatur professio, Sanch. *de Matr.* l. 4. *d.* 6. Less. *in auct. v. Professio Relig. cas.* 12. ubi *cas.* 13. notat, ut talis professio in foro externo declaretur irrita, debere metum illum legitime probari per testes etiam juratos, uti fit in aliis, causis gravibus. (1) Adit quoque recte Castr. *t.* 16. *d.* 1. *p.* 9. *n.* 1. quamvis coactio professionem annullet, relinquit tamen valorem novitiatus, quia jura tantum loquuntur de professione, unde si quis coactus iniverit novitiatum, si tamen eo expleto libere fecerit professionem, est valida. Notat etiam Suar. *t.* 3. *l.* 6. *c.* 4. referens plures contra Less. *de just. l.* 2. *c.* 41. *d.* 7. professionem non invalidari per metum acceptantis professionem, sed tantum profitentis. Quod si talis metum passus non reclamarit intra quinquennium, postea non auditur, secundum dicta n. 29. nisi duraverit causa metus, ob quem invalida fuit professio, tum enim non currit quinquennium præscriptum ad reclamandum, uti recte *Pign.* tom. 9. consult. 173. quod enim ei postea negetur reclamatio, est, quia jure præsumitur sponte ratificasse professionem, sed si perdurarit causa metus, excluditur hæc præsumptio juris; si enim ex metu sit professus, multo magis ex metu officium Pœnitentiariæ Nostræ Apostolicæ, ut non semel evenisse novimus, confugere cogantur, occultato, ut moris est, in precibus nomine, fatentes sententiam super Professionis nullitate pravis artibus extortam a se fuisse, decepto judice, vel per mendacia in facti expositione adhibita, vel per corruptos Testes; ideoque flagitantes, ut ex gratia & dispensatione Apostolica, facultas manendi in sæculo ipsis indulgeatur.

* Ut autem ordinate procedamus, distinguendum initio est inter Regulares illos, qui intra quinquennium a die factæ Professionis, de illius nullitate actionem promovent; & eos, qui post elapsum quinquennium reclamant. Quod ad priores attinet, celebre est de illis decretum Sac. Trid. Synodi *sess.* 25. *de Regul. c.* 19. in hæc verba: *Quicumque Regularis prætendat, se per vim & metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat, ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere, sine licentia Superiorum; non audiatur, nisi intra quinquennium tantum a die Professionis, & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo & Ordinario.* In quo sane Decreto licet in littera Virorum Regularium dumtaxat mentio fiat, nihilominus etiam feminæ Religionem professæ comprehenduntur; quum, ex regulis juris, masculinum genus etiam femininum includat, ubi una eademque causa pro feminis æque ac pro masculis militat. Quamvis autem Decreti verba satis clara sint, variæ tamen quæstiones circa eorum sensum ac vim excitatæ fuerunt.

* Quum etenim ibi fermo dumtaxat sit de Regulari Professo, qui suam Professionem nullam fuisse contendat: *Quicumque Regularis prætendat se per vim & metum ingressum esse Religionem &c.* nihil vero expresse statuatur de ipsa Religone, cujus aliquando interest alicujus Alumni sui Professionem irritam declarari; ut si quis, exempli caussa, comperiatur occultum aliquod impedimentum non revelasse, de quo interrogatus fuerat, adjecta declaratione, quod, eo forsan existente, & non patefacto, ipsius admissio a Religione minime rata habenda foret; hinc dubitatum fuit, an in hujusmodi casu solus Superior Regularis sine Ordinario procedere posset, an vero etiam in hac facti specie discutienda esset caussa coram Regulari Superiore simul & Ordinario Loci. Super quo Congr. S. R. E. Cardin. ad ipsius Conc. Trident. Interpretationem ab Apostolica Sede deputatorum constanter decrevit, caussas hujusmodi super nullitate Professionis, tam a Regulari Professo, quam a Religione, intra quinquennium in judicium deductas, & a Superiore Regulari, & ab Ordinario Loci simul cognoscendas esse.

* Quum item quinquennium, intra quod admittitur reclamatio adversus Professionem, Sancta Synodus computandum voluerit *a die professionis*; cumque potior, atque communior caussa, quæ pro nullitate Professionis adduci solet, in metu consistat; metus autem per totum quinquennium, atque etiam ulterius, aliquando perseveret; quæsitum fuit, an, ubi de metu agitur, initium quinquennii desumendum sit ab ipso die Professionis emissæ, an vero a die, quo Professus liberam reclamandi facultatem habere cœpit. Eadem vero Congrat. declaravit, in utroque pariter casu, concessum quinquennii tempus a die emissæ Professionis esse computandum.

* Ad idem pariter quinquennium pertinet alia agitata quæstio, an scilicet prædicti Ordinarius & Superior Regularis cognoscere possint caussas nullitatis Professionis etiam post ipsum quinquennium, ubi nempe Professus intra illius decursum reclamaverit, sed judicium prosequi deinde neglexerit aut nequiverit. Decretum est autem ab eadem Congr. coram præsatis Judicibus a Concilio memoratis agendam esse caussam, etiam post elapsum quinquennium, dummodo satis constet, eam intra præscriptum tempus a reclamante serio intentatam fuisse.

* De ipsis autem Judicibus pro hujusmodi caussarum cognitione a Sancta Synodo designatis, per ea verba: *coram superiore suo, & Ordinario*; complures similiter motæ sunt quæstiones, quæ majori eorumdem verborum elucidationi caussam dederunt. Et primo quæsitum fuit, quisnam censendus esset Superior Regularis in casu, & ad effectum, de quo agitur; utrum scilicet Provinciæ Rector, an Generalis Ordinis Moderator; Congr. autem ejusdem Conc. Interpres definivit esse Superiorem localem, nimirum Abbatem, vel Guardianum, sive Priorem, aut alio quocumque nomine nuncupatum Præpositum seu Rectorem illius Monasterii, aut Cœnobii, in quo reclamans Professionem emisit; eum nempe, qui hujusmodi Monasterii aut Cœnobii regimen exercet, quo tempore caussa super nullitate Professionis in judicium deducitur. Quæsi-

* tum

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

ad perpetuam rei memoriam.

* SI datam hominibus fidem frangere, conventionesque eas, quæ ab humanis legibus robur accipiunt, abrumpere, ac violare non licet; multo magis necesse est obligatum Deo mentis propositum immutabiliter servari, Nosque præsertim, utpote sacrarum Legum custodes a Deo constitutos, oportet earum pactionum, quæ Divino & Ecclesiastico jure insissolubiles sunt, perpetuam firmitatem & observantiam asserere. Eam ob rem jam usque ab anno Incarnat. Dominicæ 1741. Pontificatus Nostri primo, Apostolicas Litteras dedimus, incipientes: *Dei miseratione*, in Bullario Nostro deinde editas *Tom.* 1. *n.* 33. quibus certum præscripsimus ordinem, in Tribunalibus Ecclesiasticis servandum, quum in ipsis discuti & definiri deberent caussæ, in quibus de nullitate alicujus Matrimonii contracti ageretur; non eo quidem consilio, ut si quod forte Matrimonium cum impedimento aliquo dirimente initum fuisset, de illius nullitate judicium postulari, aut fieri prohiberemus; sed ut in hoc gravissimo judicii genere, in quo de sacro Connubiorum fœdere agitur, pleniori veritatis elucidationi consuleremus; utque Judices, non sine certissima cognitione omnium, quæ ad rem maxime conducunt, hujusmodi vinculum ex tot rationibus insolubile sententiis suis, tamquam irritum ab initio, dissolverent. Cujus quidem Constitutionis utilitas, Deo favente, ad hunc diem aperte comprobatur; quum ex eo tempore, neque tot caussæ super prætensa Matrimoniorum nullitate in Tribunalibus pendeant; nec tam frequenter, ut antea, Nobis exhibeantur preces pro obtinendis dispensationibus super Matrimonio rato & non consummato, dum scilicet ante omnium oculos propositæ sunt difficultates paullo quidem majores, sed omnino justæ, quæ, ex novo ordine a Nobis statuto, cuilibet superandæ se offerent, antequam optatum finem assequatur.

* Quemadmodum itaq; pro Matrimoniis carnalibus a Nobis pro-

tum item fuit, quisnam Monialium proprius Superior dicendus sit, ad effectum judicandi una cum Ordinario de earum Professionis nullitate. Responsum fuit, quod si agatur de Monialibus Ordinario Loci immediate subjectis, tunc, quum nullus sit earum Superior Regularis, solus Ordinarius judicat de Professione reclamantium intra quinquennium: Si vero Moniales Regularium regimini subsint, tunc hujusmodi caussæ judicandæ sunt ab Ordinario loci simul, & Superiore Regulari; ab eo nimirum, cui concreditum est universum Monasterii regimen, non autem a Confessario Regulari Monialium. Dubitatum est etiam utrum Superior Regularis jus suum cedere possit Ordinario Loci, eique permittere, ut in hujusmodi caussis solus procedat, & judicet; id autem prædicta Congr. fieri posse negavit; permisit tamen Superiori Regulari, ut si judicium assumere nolit, aut non possit, alium subrogare valeat vel Regularem, vel etiam Ecclesiasticum Sæcularem juris Canonici peritum, qui una cum Ordinario Judicis partes exercenat. Denique quæstium fuit, si forte Ordinarii & Superioris Regularis judicia inter se discrepantia extiterint, quodnam ex ipsis alteri prævalere debeat. Ar in hoc casu responsum fuit, caussam ipsam ad Apostolicæ Sedis judicium devolutam conferi.

* Quum vero inter capita nullitatis Professionem Regularem irritantia, unum etiam adnumeretur, si nempe aliquis Professionem emiserit in Cœnobio ad Novitiorum institutionem minime destinato, in iis tamen locis, in quibus rec. mem. Prædecessor Noster Clem. Papa VIII. Decreta de Regularibus a se edita vim habere mandavit; si quis ex hoc capite Professionem a se factam intra quinquennium impugnare voluerit, aut etiam si Religio intra idem quinquennium postulaverit alicujus Professionem ex hujusmodi capite irritam declarari; decretum extat a sel. record. Urbano Papa VIII. altero Prædecessore Nostro justis gravibusque caussis, ac de consilio præfatæ Congr. Conc. Trid. Interpretis, editum die 5. Januarii anni 1636. incip. *ad occurrendum*, quo statutum fuit, hujusmodi caussas ad eandem Congr. privative pertinere. Hæc sunt potiora in hoc genere Decreta ex Regestis prælaudatæ Congr. excerpta, quæ licet alia a Prædecessoribus Nostris Romanis Pontificibus Apostolica Authoritate non semel approbata fuerint, & confirmata; Nos tamen eadem, præsentium Litterarum tenore, atque Authoritate simili, novo approbationis & confirmationis Nostræ robore communimus, atque ab omnibus, ad quos spectat, seu respective spectabit, in posterum pro regula haberi, ac plenariæ executioni demandari præcipimus.

* Quibus ita constitutis, firmataque pertinentia caussarum, quæ intra quinquennium a die Professionis emissæ adversus illius validitatem introducuntur; consequens est, ut & ea indicemus, quæ de ordine ac methodo in hujusmodi judiciis servanda, a Majoribus sapienter constituta sunt, tum ea proferamus, quæ Nos ipsi opportune addenda censuimus, quæque pari authoritate, ac præsentium litterarum vigore, perpetuis futuris temporibus servari volumus & mandamus. Jam de ipsa hujusmodi caussarum introductione notum est Decretum ejusdem Conc. Trid *cit. sess. 25. c. 19. de Regul. ut si quis antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandum quamcumque caussam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, & tamquam Apostata puniatur; interim vero nullo privilegio suæ Religionis juvetur*. Ex quo sequitur Regularem postulantem judicium fieri de suæ Professionis nullitate, ab ipso judicii limine repelli, nisi constet eum in Religionis suæ Claustris morari, & Habitum Regularem resumpsisse, si ipsum antea deposuerit.

* De probationibus vero, licet non ignoremus, apud Superiores Regulares, Ordinariosque Locorum usu receptum fuisse, in re tanti momenti, judicia sua fundare in extrajudicialibus attestationibus, quantumvis juramento firmatis, quæ *ad perpetuam* dicuntur; hoc tamen de cetero usurpari prohibemus; volentes, atque districte mandantes, ut ad adstruendas probationes in hujusmodi caussis necessarias, verus & judicialis Processus omnino conficiatur; in quo & Articuli exhibeantur ex parte illius, qui adversus Professionem agit; & interrogatoria dentur ab ea parte, quæ stat pro ipsius Professionis validitate; & Testes tam super Articulis, quam juxta hujusmodi interrogatoria examinentur; utque, hac forma non servata, Processus ipse, & Sententia dependenter ab eo prolata, insanabili nullitatis vitio corruere censeantur; salva etiam dispositione juris communis, quoad alia nullitatis capita, si quæ forte in ipsa Processus compilatione intervenerint.

* Sub eadem pœna nullitatis, decernimus atque statuimus, ut in hoc judicio citari & audiri debeant tum Defensores Monasterii, seu Cœnobii, in quo Professus Vota Religiosa suscepit, tum ipsius Professi Consanguinei, sive propinqui, sive alii, quibus bona sua donavit, aut cessit; uno verbo omnes, quorum interest illius Professionem sustineri; in primis autem ii citentur (si superstites fuerint) qui indicati erant tamquam Authores aut complices metus eidem incussi, ut Votis novitus se obstringeret. Quemadmodum vero in citata Constitut. Nostra, quæ incipit *Dei miseratione*, decrevimus, ut in singulis Diœcesibus ab Ordinario deputari deberet aliquis probitate ac doctrina commendatus, cujus officium esset in caussis Matrimonialibus in judicio stare pro validitate Matrimonii; ita nunc omnibus & singulis Locorum Ordinariis committimus & mandamus, ut personam aliquam similibus qualitatibus præditam in suis respective Diœcesibus eligant, cui *Defensoris Professionum* munus imponant; utque huic omnia demandata, injuncta, & respective applicata esse censeantur, quæcumque Nos in præcitatis Litteris de Matrimonii Defensore statuimus; Nos enim eadem omnia, præsentium tenore, ad ejusmodi Professionum Defensores expresse extendimus, & respective applicamus, & quoad istos pari modo locum habere decernimus. Id solum peculiariter pro Defensore

* Professionis in præsentibus statuentes, ut scilicet quidquid pro ipsius honorario, aut mercede, sive pro expensis in defensione caussæ concurrentibus, eidem præstandum esse Judex prudenter arbitratus fuerit, id omne ab illis exsolvi debeat, quibus a Profeso renunciata fuerunt bona in Religionis ingressu dimissa; si vero hi non existant, aut si Professus nihil renunciandum habuerit, ipsa Religio, quatenus ex illis sit, quæ temporalia bona possident, ad hujusmodi solutiones teneatur: Si autem nec adsint bona renunciata, nec Ordo Regularis de quo agitur, quidquam possideat, tunc Defensori Professionis satisfiat ex pecuniis adsitarum illius Tribunalis, in quo caussa agitata fuerit, sive Mulctarum illius Tribunalis, in quo caussa agitata fuerit, sive alterius, prout in aliis prædictis Litteris Nostris de Matrimonii Defensore statuimus.

* Lata demum Sententia a Superiore Regulari, & ab Ordinario Loci, si ea pro validitate Professionis pronunciata fuerit, neque professus appellationem interponat, caussam finitam esse non dubitatur. Si vero Professus ad Judicem secundæ instantiæ appellaverit, vel etiam ulterius eadem caussa retractanda fuerit; in omnibus hisce judiciis volumus similiter Defensorem Professionis ex Officio deputatum intervenire, eodem prorsus modo, quo in citata Constit. decrevimus, Defensorem Matrimonii, in secunda & ulteriori instantia, judicio semper adesse. Ac sicuti præterea statuimus, hujusmodi Defensoris partes esse Sententia Judicis primæ instantiæ pro Matrimonii nullitate lata ad ulterioris instantiæ Judicem provocare, & formam prosequendi judicium in ulterioribus hujusmodi instantiis præscripsimus; ita porro volumus ut Defensor Professionis a Sententia in prima instantia pro nullitate Professionis edita appellare omnino debeat; atque in secunda seu ulteriori hujusmodi caussarum revisione, eadem omnia volumus observari, quæ pro caussis Matrimonialibus in eadem Constitutione mandavimus.

* Quemadmodum denique legitimas pœnas ibidem constituimus adversus eos, qui post unicam obtentam Sententiam pro prioris Matrimonii nullitate, sive pendente appellatione, sive ea per incuriam aut fraudem Defensoris non interposita, ausi fuissent novas Nuptias contrahere; atque decrevimus nemini licere ad altera Vota transire, nisi duæ saltem Sententiæ conformes pro nullitate prioris Matrimonii emanaverint; ita, si quis in Ordine Regulari Professus, post unicam Sententiam favore nullitatis Professionis pronunciatam, sive pendente, sive omissa culpabiliter appellatione, e Claustris exire, a Religione discedere, quodque magis est, Habitum Regularem abjicere præsumpserit; volumus, atque statuimus, omnibus eum pœnis atque censuris a Sacris Canonibus, & a Constitutionibus Apostolicis contra Apostatas latis atque sanctis, subjacere, & obnoxium esse; decernentes pariter, in hujusmodi caussis de Professionis nullitate, liberum Professo non esse a Religione migrare, nisi duas saltem obtinuerit Sententias conformes, quibus ab eo emissa Professio nulla & irrita declarata fuerit.

* Et primæ quidem instantiæ Judices super validitate Professionum, quæ intra quinquennium judicialiter impugnantur, ut supra dictum est, Superior Regularis, simulque Ordinarius Loci esse debent. Si vero eædem caussæ in secunda aut ulteriori instantia sint discutiendæ, statuimus, inhærentes antiquis quibusdam sæpedictæ Congreg. Cardin. Conc. Trid. Interpretum Decretis, quæ pariter tenore præsentium approbamus & confirmamus, ut caussæ hujusmodi ad eos Judices devolvantur, ad quos de jure aliæ omnes caussæ Ecclesiasticæ, post Sententiam Ordinarii, in gradu appellationis respective devolvuntur; ita tamen, ut hi quoque Judices, sicuti Ordinarius in prima instantia una cum Superiore Regulari processit, sic & ipsi procedere & judicare debeant una cum Superiore Regulari, non quidem illius Monasterii, in quo reclamans professus est, sed alterius Monasterii ejusdem Ordinis in eorum Civitate aut Diœcesi existentis, vel, eo non extante, cum Superiore vicinioris Monasterii ejusdem pariter Ordinis, seu cum alia persona Ecclesiastica, cui, juxta præmissa, Superior ille ad quem pertinet, suas vices ad hunc effectum delegaverit. Si autem hujusmodi caussæ in secunda aut ulteriori instantia ad Sedem Apostolicam devolvantur, & a prædicta Congreg. Conc. sive ab altera super Consultationibus Episcoporum, & Regularium, aut denique ab Auditorio Rotæ, ut respective assolet, discutiendæ fuerint; nullus erit locus ad judicandum Superiori Regulari; qui neque tunc ad ferendam Sententiam admittitur, quum ab eadem Congreg. Conc. juxta relatum superius Urbani Prædecessoris Decretum, examinanda fuerit, etiam intra quinquennium, validatas Professionis ex eo capite impugnatæ, quod facta fuisse asseratur in Monasterio aut Cœnobio Religiosis Tyronibus instituendis minime addicto.

* Hactenus de judiciis super nullitate Professionis, quæ intra quinquennium a die ipsius Professionis emissæ introducuntur; de quibus hoc etiam declarando decernimus, ut quæcumque in superioribus statuta sunt, ea omnia locum habere & observari debeant etiam in Curia S. R. E. Cardin. Nostri & Romani Pontificis pro tempore in Urbe ejusque Districtu Vicarii in Spiritualibus Generalis; queties hujusmodi caussas intra idem quinquennium in ipsius Tribunali Ordinario judicandas esse contingat. Jam vero videndum est de ejusdem generis caussis, quæ, post elapsum quinquennium hujusmodi, in judicium adducuntur.

* Porro quum S. Trident. Synodus, post quinque annos ab emissa Professione transactos, omnem aditum ad reclamandum Professis interclusum esse sanxisset, per ea aperta verba superius relata: *Non audiatur, nisi intra quinquennium a die Professionis*; adeo inhærendum hujusmodi sanctionis litteræ duxerunt Majores Nostri, ut sub piæ mem. Prædecessore Nostro Greg. Papa XIII. decretum fuerit, ac veluti pro regula statutum, nullius caussæ introductionem super nullitate Profes-

* sio-

* sionis, elapso quinquennio, admittendam esse; etiamsi Professio per vim & metum facta diceretur, atque probari vellet, hujusmodi vim & metum toto quinquennii tempore permansisse. Verba Decreti die 5. Martii an. 1598. editi, quæ habentur *Decret. Congr. Conc. Tomo 9. fol. 55.* hæc sunt: *Gregor. XIII. ex Sententia Congr. Concilii declaravit, eos, qui per vim & metum se Religionem professos prætenderent, nisi intra quinquennium reclamaverint, eo elapso, non esse audiendos, tametsi allegarent, vim & metum semper durasse.*

* At vero procedentibus temporibus, non sine justis gravibusque caussis, ut plane persuasum habemus, inductum fuit, ut admitteretur instantiæ pro *restitutione in integrum adversus lapsum quinquennii*.

* De quibus tamen judicium facere ad Apostolicam Sedem semper privative pertinuit, sive ex parte Professi, sive ex parte Religionis instantiæ hujusmodi proponerentur, ac licet ipsa reclamatio ob impedimentum per totum quinquennium perseverans dilata fuisse diceretur. Hoc enim remedium restitutionis in integrum, extraordinarium in jure vocatur, cujus concedendi facultas Judicibus inferioribus competere nequit, non obstante quacumque contraria consuetudine, etiam immemorabili, aut quolibet asserto privilegio; ut patet ex compluribus in eandem sententiam Decretis ejusdem Congr. Trid. Conc. Interpretis, quæ recensita fuerunt in Decreto edito die 24. Sept. anni 1740. in caussa *Siculæ Restitutionis in Integrum*, quod a Nobismetipsis die 28. ejusdem mensis & anni approbatum & confirmatum fuit, quodque iterum præsentium tenore approbamus & confirmamus; reservato Nobis & Successoribus Nostris Romanis Pontificibus jure concedendi Ordinariis & Superioribus Localibus, in quibusdam peculiaribus casibus, facultatem examinandi etiam caussas restitutionis in integrum, ac super ipsis pronunciandi, antequam ad sententiam ferendam super Professionis validitate aut nullitate devenient; ut non semel ex Apostolicæ Sedis dispensatione factum fuisse non ignoramus.

* Hujus autem judicii methodus diversa quondam fuit ab ea, quæ in præsenti observatur. Antiquis enim temporibus, visa probabili ratione, seu fumo, ut ajunt, caussarum restitutionis in integrum, ea ab Apostolica Sede concedebatur, nimirum facultas indulgebatur reclamantibus adversus Professionem, ut, licet elapsum esset quinquennium, nihilominus de illius nullitate coram Judicibus competentibus actionem promovere possent; pro cujus judicii instructione deinceps a Superiore Regulari, & ab Ordinario Loci legitimus conficiebatur Processus, atque sententia super validitate, aut nullitate ferebatur. Quæ sane methodus si hoc etiam tempore in usu esset, oporteret Nos eorum præcipue, quæ ad hujusmodi judicium consequentia sunt, rationem habere; ac providere, ne unius tantum sententiæ vigore Professiones Regulares dissolverentur. Sed alius hodierno tempore est ordo, qui in præfatis Congreg. seu Tribunalibus Urbis, pro concedenda restitutione in integrum adversus lapsum quinquennii, observatur; Nam priusquam super eo quidquam decernatur, committitur Ordinario Loci & Superiori Regulari, ut Processum conficiant; eoque demum transmisso, proponitur dubium super concessione restitutionis in integrum, idque non minus accurate ac severe examinatur, ac si dubium propositum esset super ipsa validitate, aut nullitate Professionis. Si autem petita in integrum restitutio concedatur, tunc Ordinario & Superiori Locali committitur, ut sententiam proferant super controversia Professionis validitate. Sed quamvis in hujusmodi commissionibus plena ipsis relinquatur facultas judicandi sive pro validitate, sive pro nullitate Professionis, prout ipsis justum visum fuerit; usu tamen compertum est, quod, quum iidem satis noverint quam diligenti & gravi judicio apud Sedem Apostolicam discussæ fuerint caussæ, propter quas restitutio in integrum concessa fuit: visoque dumtaxat hujusmodi consensionis rescripto, nec ulteriori instituto examine, ad ferendam pro nullitate Professionis sententiam ut plurimum sine dubitatione procedunt.

* Accuratum hujusmodi examen caussarum restitutionis in integrum apud Romanæ Curiæ Judices in more positum, non modo non immutare intendimus, verum etiam approbatione Nostra singulis, ad quos pertinet, magnopere commendatum, ab ipsis in posterum observari volumus ac jubemus; hoc tamen addito, ut in Commissionibus, quæ diriguntur Superioribus Regularibus & Ordinariis Locorum pro conficiendis Processibus, iisdem sub pœna nullitatis actuum injungatur, ut in omnibus procedere debeant cum interventu Defensoris Professionis; ad quem nimirum pertinebit Interrogatoria dare, juxta quæ examinari debebunt Testes, aliaque ad officium sibi impositum pertinentia diligentissime præstare. Item volumus, ut in ipsa propositione dubii super concessione restitutionis in integrum, tam in præfatis Cardin. Congr. Conc. Trid. interpretationi, & Episcoporum ac Regularium consultationibus præpositis, quam in Auditorio Rotæ, aut in quacumque Congr. peculiariter forsan deputata, sub simili nullitatis pœna, Defensor Professionis, ab eo, qui Tribunalis caput est, deputatus, expensis eorum, de quibus supra, semper & in omnibus actibus in judicio stare debeat; neque solum in prima hujusmodi dubii propositione, sed etiam in ulterioribus, quatenus reclamans in prima rejectus, ad novam audientiam admittatur. Denique, ut pro fruendo beneficio restitutionis in integrum, unica favorabilis resolutio nequaquam sufficiat, nisi ea per secundam conformem, iterato caussæ examine, auditoque semper Defensore Professionis, confirmata fuerit; quemadmodum in altera Constitutione Nostra, præsentis initio allegata, de caussis super nullitate Matrimonii constituimus; Nos enim præsentium tenore decernimus, ac sub pœnis adversus Apostatas sancitis districte prohibemus, ne quis sub

* clypeo unicæ resolutionis pro concessione restitutionis in integrum obtentæ, e Religiosis Claustris migrare, multoque minus Habitum Regularem deponere audeat, seu præsumat: quum ad prædictas pœnas declinandas, & altera resolutio super institutione in integrum priori consentanea, & sententia super nullitate Professionis a Superiore Regulari & ab Ordinario ferenda, expectari omnino debeant; nec nisi per hujusmodi sententiam, a prædictis judicibus, præviis duabus resolutionibus pro concessione restitutionis in integrum, legitime latam, Judicium absolutum censeri queat.

* Quæ omnia si ita observabuntur, ut a Nobis constituta sunt, utque omnibus, ad quos pertinet, ac pertinebit in posterum, sedulo observanda & implenda a Nobis præscribuntur, & enixe inculcantur; profecto non dubitamus, quin multo rariores in posterum futuræ sint instantiæ & contentiones eorum, qui vel intra quinquennium a die Professionis emissæ, vel etiam eo elapso, susceptum Religiosæ vitæ Institutum relinquere admitantur. Ad hoc autem certius obtinendum magnopere contulerit, si a Superioribus quoque Regularium Ordinum in Novitiorum admissionibus ea observabuntur, quæ in eorum Constit. & in Decr. sel. rec. Clem. Papæ VIII. Prædecessoris Nostri statuta sunt, quæque omnia ab ipsis plenissime observari & impleri, Nos pariter ipsis præcipimus ac jubemus; tam etiam si ipsi minus facile consensum suum præbebunt, ut admittantur ad Professionem Tyrones, sive quiætatem quidem a Concilio præscriptam compleverint, at non ad eam pertigerint, quæ a Constitutionibus Ordinis statuta est; sive illi, qui licet annum Novitiatus expleverint ad normam Concilii, adhuc tamen ut erius in eo manere deberent, juxta præscriptum suarum peculiarium Constitutionum; multoque magis ii, qui nec per integrum annum, sed per octo, aut sex menses dumtaxat Tyrocinium posuerunt; ac demum si ipsi Superiores haud se interponent, neque curabunt, ut Professi ante legitimam ætatem ad Ordines Sacros promoveantur. Quæcunque enim sive in Sacris Canonibus, aut Pontificiis Constitutionibus, sive in peculiaribus Ordinum statutis, circa præmissa provide constituta sunt, non parum habent momenti ad religiosam vocationem in hominum cordibus stabiliendam, & ad cohibendam versatilem animorum mobilitatem, quæ ut plurimum aut sola, aut potissima caussa est, qua Professi adducuntur, ut vota, quibus obstricti sunt, irrita declarari cupiant. Neque vero Apostolica Sedes ullas unquam dispensationes in præmissis concedere consuevit, nisi prævio assensu, aut etiam accedentibus precibus Superiorum Regularium, quibus nempe æquum & necessarium est fidem adhiberi in expositione caussarum, quas urgere asserunt pro concedendis dispensationibus, quæ petuntur. Illud autem nullo modo ferri, aut probari potest, quod tamen apud plerosque invalusse constat, ut scilicet reclamantibus adversus Professionem sive intra quinquennium, sive post ejus decursum, Superiores ipsi contradictores sese non exhibeant, aut etiam aperte suffragentur; ex falsa nimirum opinione, quod Religiosorum Virorum societate indignus censendus sit, quicumque ab ea discedere exoptat; quodque ex inutili Monacho, utilis fortasse Clericus Sæcularis existere possit. Nunquam enim licitum est justitiam deserere aut prodere, quæ jubet omni ratione sustineri actum adeo solemnem, & natura sua irrevocabilem, in quo perficiendo, una cum Professo, ipsa quoque Religio intervenit.

* Ad prædictum finem præterea quam maxime proderit, si & Ecclesiastici Præsules, & Judices, debitas officii sui partes explere non prætermittent. Ecclesiarum quidem Præsules, si anathemati subjectos declarabunt omnes & singulos, cujuscumque qualitatis, conditionis, & dignitatis fuerint, qui Virgines, aut Viduas, seu alias quascumque Mulieres invitas, præterquam in casibus in jure expressis, cogerint ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum Habitum cujuscumque Religionis, vel ad emittendam Professionem; juxta sanctionem Sacr. Trident. Synodi *sess. 25. c. 18. de Regul.*, ubi etiam pares censuræ statuuntur adversus eos, qui in hujusmodi factis consilium, auxilium, vel favorem dederint; ac si omnes similiter, quotquot ausi fuerint compellere viros ad ingrediendam Religionem, & ad Vota profitenda, justis gravibusque pœnis afficient. Judices vero, si, falso ante omnia deposito præjudicio, quo nonnulli arbitrantur latissimam viam, quoad fieri potest, aperiendam esse iis, qui inde migrare cupiunt, ubi invito animo commorantur, ad exactam justitiæ lancem expendent, & numerum, & qualitatem Testium, qui ad comprobandam nullitatem Professionis inducuntur; & vim majorem a minori, metum gravem a levi, debilem a constantiori sexu, interclusam a permissa reclamandi facultate discernent; aliasque omnes circumstantias sedulo animadvertent, quæ in hoc toto rerum genere ab Authoribus considerari solent.

* Itaque prædictis omnibus & singulis gravissime denunciamus, districteque præcipimus, ut in cunctis, quæ ad eorum officia pertinent, a justitiæ tramite, & a præceptis sibi legibus ne minimum quidem discedant; ac meminerint, omnium, quæcumque gesserint, severissimam sibi rationem tum apud Divinum Judicem, tum apud homines reddendam fore. Nos vero, si Deo placuerit, valetudinem Nobis cum vita servare, non parum operæ conferre intendimus, quo planius atque facilius de caussis hujus generis ab ipsis in posterum judicari valeat. Siquidem Nobis propositum est cum consilio delectorum Virorum in Theologica & Canonica facultate præstantium, nonnullas quæstiones accurate examinare, ac dirimere, quæ variis Scriptorum opinionibus jactatæ, & varias species induentes, juxta diversas occurrentium casuum circumstantias, ancipites atque solicitos detinere solent Judicantium animos; ut Nobismetipsis in minoribus olim constitutis non semel evenisse meminimus, quum pro munere Secretarii præfatæ Congr. Cadin. Conc. Trid. Interpretum, hujusmodi caussas ad regulam Juris exigendas præ manibus haberemus. Ejusmodi sunt, exempli caussa, quæstiones: Utrum Professio, quamvis initio nulla fuerit, per subsequentes tamen actus convalidetur; quinam sint actus, ex quibus hujusmodi convalidatio,

* seu

* seu ratificatio inducatur; & quid momenti habeat ad hunc effectum susceptio Sacrorum Ordinum *ad titulum Religiosæ paupertatis*. Præterea, si quis forte ante legitimam ætatem ignorans Professionem emiserit, & in ea ignorantia per plures annos in Religione permanserit, seque valide Professum existimans, ea omnia, quæ Professorum sunt, una cum Sociis præstiterit, an hic deinde intelligens qua ætate Vota emiserit, non obstantibus actibus veri Professi a se gestis, adhuc præfatæ ignorantiæ præsidio, actionem habeat ad reclamandum adversus Professionem a se factam; an vero talis ignorantia nihil eidem suffragetur, quo minus Professionem initio nullam per subsequentes actus ratam habuisse censeatur. Item, an Professus, qui in Professionis actu impedimentum aliquod, sive defectum occultavit, de quo interrogatus fuit, addita declaratione ad formam Constitutionum, quod scilicet Religio ipsum cum hujusmodi defectu aut impedimento forsan occultato admittere non intendebat; an, inquam, talis Professus, qui Religioni dolum struxit, ejusmodi commodum ex propria fraude desumere possit, ut validitatem suæ Professionis ex eo capite impugnare valeat. Denique, an nullam vim habere debeat in foro externo ad spadendam Judici nullitatem Professionis, quod reclamantes Professi asserere sæpe non dubitant, se in proferendi Religiosis Votis, mentem servasse alienam a proposito se obligandi. Hæc omnia, aliaque similia in hujusmodi judiciis frequenter occurrentia, & in utramque partem hactenus disputata, tum Nostro, tum aliorum, quos, ut supra diximus, in consilium advocaturi sumus, diligenti studio, Deo adjuvante, explanare deliberavimus.

* Interim præsentes Litteras, cum omnibus & singulis in ipsis decretis, atque statutis, firmas, validas, & efficaces existere ac perpetuo fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime & inviolabiliter observari volumus & decernimus. Sicque & non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, prædictasque S. R. E. Card. Congr. Generales & Particulares, aliosque ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & S. Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, authoritate, & potestate fungentes & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, ubique judicari & definiri debere; ac nullum, irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

* Non obstantibus, tam causarum forsan ad hunc diem introductarum pendentia, quas quidem caussas, in quibuscumque statibus & terminis de præsenti reperiantur, juxta superius præscripta omnino tractari, judicari, & definiri debere expresse decernimus; quam Nostra & Cancellariæ Apostolicæ, Regula de Jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, Decretis quoque, & Resolutionibus a præfatis Cardin. Congr. sive ab Auditorio Rotæ prædicto, aut aliis quibuscumque Judicibus, & Tribunalibus, alias forsan, & aliter factis, conditis, & emanatis; nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, Privilegiis, Exemptionibus, & Indultis, etiam in corpore juris clausis, aut Litteris Apostolicis quibusvis Personis, Collegiis, Locis, Ordinibus, etiam Militaribus, Congr. Societatibus, & Institutis, etiam Soc. Jesu, & S. Joannis Hierosolymitani, aliisve quibuslibet specifica & individua mentione dignis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus & formis, & cum quibusvis etiam clausulis & decretis, etiam derogatoriarum derogatoriis, & irritantibus in genere, vel in specie, etiam motu simili, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, seu consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua mentio, seu quævis expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas, causas, & occasiones præsentibus pro plene & sufficienter expressis, & exactissime servatis & specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, & ad præmissorum effectum, plenissime & amplissime motu pari derogamus, & derogatum esse volumus, cetersique contrariis quibuscumque.

* Volumus insuper, & eadem Authoritate prædicta mandamus, ut eædem præsentes, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam facilius deducantur, nec quisquam de eis ignorantiam prætendere valeat, ipsas præsentes, seu earum transumpta, ad valvas Ecclesiæ S. Joannis in Laterano, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, nec non Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque Generalis Innocentianæ in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ per aliquem ex Cursoribus Nostris, ut moris est, publicari, & affigi, sicque publicatas & affixas, omnes, & singulos, quos concernunt, seu concernent in futurum, perinde afficere & arctare, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

* Utque earumdem præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubiq; locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

* Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum Confirmationis, Approbationis, Voluntatis, Mandatorum, Statutorum, Decretorum, & Declarationum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incurrurum.

* Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1748. quarto Nonas Martii, Pontificatus Nostri an. octavo.

53 Q. 10. *An Monasterium possit novitium expelta probatione sine causa non admittere ad professionem?* R. per hoc non peccari mortaliter docent aliqui, quia sicuti novitius liber est ad profitendum vel ad abeundum etiam sine causa, ita videtur Religio debere esse libera ad admittendum, vel remittendum, alias non est utrinque par conditio: sed oppositum tenendum est cum Lugo *de Just. d. 9. nu. 54.* aliisque communiter, est enim hoc grave, in primis contra charitatem, quia sine justa causa infertur novitio grave damnum, eique inuritur gravis nota, si dimittatur; deinde tales Religiosi committunt gravem defectum in officio sibi demandato, sunt enim ab Ecclesia constituti Judices, ut pro merito, vel demerito dicant, novitium esse aptum vel ineptum Religioni: ergo cum judicent aptum, & tamen rejiciendo virtualiter dicant esse ineptum, ferunt sententiam iniquam: denique etiam est grave contra justitiam, quia novitius per novitiatum bene expletum acquisivit jus ad professionem, illa enim conditione, & quasi sub hoc contractu subvit novitiatum; *Probate me, & postmodum judicate pro merito, ut vel profitear, vel abeam*, & ita censetur eum admisisse Ordo; alioquin nemo vellet novitiatum ingredi: ergo cum ex parte sua impleverit contractum, permiseritque se probari, Ordo ex justitia tenetur reciproce ad suam partem implendam.

54 *Q. 11. Si novitius egrediatur, vel Religiosus dimittatur, an debeat ipse Ordini, aut Ordo ipsi aliquid refundere.* Resp.

§. 1. Aliqui dicunt novitium teneri Monasterio solvere mediam partem omnium expensarum, quia probatio respicit bonum tam novitii quam Monasterii, mutuo enim se probant: ergo æquum est, ut æqualiter ferant expensas. Alii dicunt novitium teneri solvere omnes expensas factas circa victum, & vestitum, quia Trid. *sess. 25. c. 16. de Regul.* dicit, quod novitio reddenda sint omnia, excepto victu & vestitu: ergo Monasterium videtur habere jus ad petendum pretium victus & vestitus. Et quidem de vestitu vix erit difficultas, quia prima vestis in plerisque Ordinibus solvitur ab ingrediente, debetque ei relinqui: censuit tamen S. Congr. non ipsum vestitum Religiosum esse exeunti restituendum, sed pretium illius, uti refert Barb. *de pot. Episc. alleg. 101. n. 39.* Quoad victum, videtur esse distinguendum, nam si de hoc non sit antecedenter contractum, nec novitius fecerit de consuetudine solvendi victum, dicendum est cum Suar. *t. 3. l. 5. c. 11. n. 5.* Sanch. *in Decal. l. 6. c. 10. n. 4.* Lugo *de just. d. 9. a n. 61.* Castr. *tr. 16. d. 1. p. 13. n. 2.* nihil teneri dare ratione victus, quia inter ingredientem & Monasterium fit saltem tacite hic contractus, ut novitius alatur a Monasterio, & e contra se probari permittat, illud autem, quod interim lucrabitur, cedat Monasterio. Quod si quis ingressus esset, non animo probandi, sed cogitans redire ad sæculum, ex justitia teneretur solvere victum, & omnes expensas ratione sui factas, quia commisisset dolum, nec Religio consentit in ullas expensas, nisi intuitu probationis sincere & serio instituendæ.

55 §. 2. Si quis in novitiatu decedat, Barb. n. 40. refert decisum esse, quod dos, si jam Monasterio sit soluta, restitui debeat hæredibus cum omnibus fructibus. Vide dicenda n. 99.

56 §. 3. Si quis etiam ex justa causa dimittatur a Soc. Jesu, non est obligatio ei restituendi illa, quæ Societati donavit, uti habet communis cum Suar. Sanch. *in Decal. l. 7. c. 1 a n. 34.* Lugo *in Resp. Mor. l. 4. d. 45.* quia quamvis Trid. supra statuat, donationes omnes intuitu Religionis factas esse irritas, non secuta professione, tamen addit, decreto illo nihil immutari in instituto Societatis, quod in *Exam. c. 4. §. 1.* dicit, hanc renuntiationem bonorum fieri debere, *a se omnem fiduciam submovendo eadem ullo tempore recuperandi*, quod non fieret, si esset spes recuperandi post dimissionem: Si tamen dimissus sit egenus, nec aliunde habeat, tenetur Societas præstare alimenta pro rata fructuum rei donatæ, alioquin posset revocare donationem, ratione ingratitudinis, Sanc. n. 39. Sed oritur hic quæstio, an si Societas tali dimisso reddere vellet bona immobilia aut mobilia pretiosa, opus esset facultate Sedis Apostolicæ, vel Generalis; negarunt aliqui, & favet *Suar.* supra, quia ordinationes dicunt restitui posse partem vel totum, pro arbitrio Superioris: ergo Societas non videtur firmiter acceptasse eorum bonorum dominium; Idem videtur tenere Castr. *d. 3. p. 18. n. 2.* dicens illam redditionem non censeri alienationem bonorum Ecclesiasticorum, eo quod a principio ea conditione accepta fuerint, ut posset Societas, si expedire judicaverit, ea reddere: contradicit *Lugo*: quia donans non videtur sibi ullum jus retinuisse, & consequenter Societas acquisivit plenum dominium, quamvis etiam retinuerit potestatem reddendi, si vellet, hæc enim stat, imo est quædam pars perfecti dominii: ergo Societas non potest hoc plenum dominium dimittere sine auctoritate speciali secundum dicenda *a n. 1363.*

DUBIUM III.

57 *Ad quid teneatur Religiosus vi suæ professionis?*

„ RESP. Religiosus vi suæ professionis tenetur ad progredien-
„ dum aliquo modo in via perfectionis, quia ex vi professionis
„ tenetur velle servare suum statum, qui est perfectionis, sive ten-
„ dentium ad perfectionem (licet secundum se non sit præcepti,
„ sed consilii) hoc autem est intrinsece velle tendere ad perfectio-
„ nem. S. Th. 2. 2. *q. 186. art. 1. & 2. & q. 184. art. 5.* Laym. *l. 4. t. 5. c. 1. n. 1.* Suar. *de Relig. t. 4. l. 1. c. 4. n. 10. &c.* Bard. *de conf. d. 7. c. 6. §. 5. Unde resolves*

„ I. Religiosus non tenetur actu esse perfectus, sed tantum studere
„ perfectioni: Bardi *&c. l. c.*

„ II. Tenetur tendere ad perfectionem, 1. Per media essentialia,
„ 2. Per vota, 3. Per auxilia secundaria, non contemnendo ea,
„ Laym. *c. 9. n. 13.* 4. Tenetur aliquibus mediis uti, & si omnia
„ media abjiciat, non est in statu salutis, Suar. Laym. *l. c.* dicens,
„ si nullum perfectionis studium adhibeat, sed omnia monita &
„ Regulas negligat, eo quod sub mortali non obligent, peccare
„ mortaliter. 5. Tenetur ad aliqua opera bona supererogativa,
„ sive specialiter non præcepta, nec promissa, quia alias moraliter
„ loquendo, non potest habere debitam intentionem salutis,
„ Suar. *l. c.*

„ III. Tenetur tendere ad perfectionem per media suæ Religionis
„ (non per alia) hoc est servando suas Regulas, Sanch. *l. 6. cap. 5.*
„ *nu. 1. & 2.* Hinc peccat, 1. per contemptum Regulæ, hoc est,
„ si nolit subjici. *Ibidem num. 6.* 2. si tantum velit servare, quæ
„ sub mortali obligant, quia contemnit perfectionem. *Ibidem n.*
„ 7. 3. per actum directe contrarium, hoc est nolendo per-

„ fectionem, quod esse mortale docet Sanch. *Ib. n. 10.* Pelliz.
„ & Bard. *l. c.*

„ IV. Si quis non tantum intendat non esse sollicitus in ob-
„ servatione Regulæ; sed etiam nunquam servare, etiamsi facile
„ possit, est mortale, vel proxima dispositio ad illud, vixque
„ potest fieri sine contemptu formali, Suar. *n. 23.*

„ V. Si ex remissione animi, & sine ullo justo titulo, per di-
„ rectam intentionem, velit aliquam Regulam non servare, erit
„ saltem levis contemptus, & peccatum veniale: Suar. *n. 13. in fine, & seqq.*

„ VI. Frequenter, & ex consuetudine violare Regulam, esse
„ mortale dicit Sanch. *c. 4. n. 18. & 20.* Tum quia perturbat Re-
„ ligiosam disciplinam, tum quia secundum quosdam est contem-
„ ptus interpretativus, vel saltem probabilissimum ejus periculum:
„ tenetur autem sub mortali ita vivere, ut non sit graviter pe-
„ niciosus Religioni inducendo alios malo exempio ad Regulæ
„ laxitatem. Sanch. *n. 18.* Laym. *c. 9. n. 13.* tum quia constituit se
„ in eo statu, ut tanquam incorrigibilis sit expellendus; tenetur
„ autem quisque ratione votorum, quibus se Religioni addixit,
„ ita se gerere, ut sit tolerabilis, & non mereatur expelli: at
„ qui nullum conatum perfectionis adhibendo, Regulas sine di-
„ scrimine transgreditur, reddit se intolerabilem, ut debeat ex-
„ pelli; aut si toleretur, plurimum nocet: ergo per accidens, &
„ indirecte agit contra professionem, peccatque mortaliter, Sanch.
„ n. 18. *v. Auct. cit.*

„ VII. Religiosus Societatis JESU peccat mortaliter, si non
„ adhibet diligentiam in cavendis defectibus, ob quos se dimit-
„ tendum vel ejiciendum previdet, & licet ita dimissus sit liber
„ in conscientia, si tamen sit dimissus ob fraudem, vel peccata
„ in eum finem commissa, irrita est dimissio, utpote obtenta
„ per dolum dantem ipsi causam (sicuti in Matrimonio, & ce-
„ teris contractibus) unde subjacet pœnis apostatarum, Bonac.
„ *de clauf. d. 2. p. 12. §. 1.*

„ VIII. Scholasticus Societatis JESU, qui pravis moribus de
„ industria dimissionem extorsit, vel fallis allegationibus impe-
„ travit, non est liber a votis. Lest. *l. 2. c. 41. d. 15.* Sanch. *c. 9.*
„ *n. 66.* Laym. *n. 13.*

ADDENDA.

58 *Quæst. 12. Quid præterea notandum sit circa obligationem Religiosi, ut servet regulam, & tendat ad perfectionem?* Resp. Quando Regula Religionis non obligat sub culpa, sed tantum ad pœnam, Suar. *t. 4. l. 1. c. 4. a n. 12.* dicit Religiosum non peccare mortaliter, si habeat animum non servandi illam Regulam, dummodo paratus sit ad pœnam sustinendam, si transgrediatur, quia in objecto illius actus non est materia contraria ulli voto vel præcepto, sed submittit se Regulæ, uti lata est, idcit, subeundo pœnam, si transgrediatur: idem docent alii cum Castrop. *t. 16. d. 4. p. 3. n. 6.* E contra Religiosum sub mortali teneri tendere ad perfectionem, servando Regulas etiam non obligantes sub peccato, docet Eliz. *in doctr. Morum l. 8. q. 14.* ex his rationibus, 1. quia Religiosus tenetur sub mortali sic se gerere, ut censeatur Religiosus: esset enim graviter disforme a recta ratione, si aliter ageretur: sed censeri non posset Religiosus, si nihil curaret de servandis meditationibus, examinibus, silentio, mortificatione, modestia, ceterisque in suo ordine citra peccatum præscriptis: ergo. 2. Alioquin Superiores non peccarent graviter, si horum observationem non procurarent in subdita sibi communitate: atqui per hoc peccare graviter docet communis cum Lugo *de Just. d. 9. a n. 21. ergo. Conf.* nam si subditi negligendo illa non peccent, prudentius facient Superiores etiam dissimulando, quia ex pœnis injunctis frequenter nascuntur peccata impatientiæ, murmurationis, susurrationis &c. 3. Alioquin sequitur relaxatio Religionis, & ejus dissolutio: relaxatio enim habetur per non observantiam Regularum, quæ, si est uni, etiam erit aliis licita sine peccato, sicque dissolvetur omnis disciplina, & tota Religionis forma, quod utique est grave malum. 4. Saltem est obligatio servandi Regulas ratione periculi violandi vota, maxime in materia castitatis, ut pluribus deducit Eliz. *q. 15. §. 3. & seq.* si enim spiritualia negligantur, fieri vix potest, ut evitetur lapsus. 5. Quia nolle proficere spiritualiter est velle deficere spiritualiter, uti ex *S. Bernardo* pluribus deducit Eliz. §. 6. ergo sicuti nolle proficere, seu se reficere in corpore, est velle mori corpore, ita nolle proficere & se continuo reficere in spiritu, est velle mori spiritu, præsertim in hoc statu naturæ lapsæ, quo dominantur passiones, & rapiunt ad malum: velle autem mori spiritu est velle amittere gratiam, quod est mortale: ergo. Atque ex hac ratione infert *Eliz.* etiam sæculares sub mortali teneri tendere ad perfectionem sui status: hinc etiam docet Oviedo *de pecc. controv. 3. n. 80.* propositum non sequendi ulla Dei consilia etiam in homine sæculari semper esse peccatum, & quidem mortale, ut habet communis cum *Sanch.* quia videtur esse graviter dissonum a natura rationali saltem ratione periculi, ne deferantur a Deo, si sic absolute velit præcludere omnem aditum Spiritui Sancto.

59 *Objicis* sibi 1. Nulla talis Regula obligat sub peccato: ergo nec tota collectio Regularium; Fundatores enim noluerunt imponere obligationem, nisi quam singulæ Regulæ afferunt. *Resp.* N. conf. eo quod sit una aliqua obligatio, quæ respiciat totam collectionem Regularum, & sit distincta a singulis obligationibus. Deus enim & Fundator Ordinis per collectionem Regularum intenderunt speciale bonum, & quidem maximum, quod non intenderunt, nec habere potuerunt per singulas Regulas, per quas non potuerunt assequi finem toti collectioni præfixum: ergo merito voluerunt esse aliam obligationem ad totam collectionem, quam ad singulas Regulas.

Si instes, Violatio Regularum omnium sine proposito violandi omnes, non est mortale: ergo nec violatio cum proposito violandi omnes, quia propositum accipit speciem ab objecto; ergo si objectum non sit mortaliter malum, nec ejus intentio erit mortaliter mala. *Resp.* N. antec. quia in violatione omnium datur propositum virtuale, & interpretativum violandi omnes, tale autem propositum in moralibus æquivalet formali.

Objicis sibi 2. In Religione nihil profitemur nisi tria vota substantialia: ergo ad alia non tenemur sub peccato. *Respondet* N. antec. Religio enim ab Ecclesia non admitteretur, quæ tantum tria vota profiteretur sine peculiaribus Regulis ejus finem complectentibus; sic enim finis castitatis Religiosæ non est honestas precise castitatis, sed simul facultas liberius vacandi Deo, & Divinis, ut ex Apostolo expresse docet S. Th. quem refert Eliz. *q. 15. §. 1.* Similiter paupertas & obedientia non haberent rationem virtutis perfectæ & Religiosæ, si in ipsis sisteretur, sed illam habent, quia sunt media ad aliam perfectionem veluti finem tali Statui Religioso præfixum, uti pluribus declarat Eliz. §. 2. Videri potest *Suar.* supra, ubi difficultates istas extenuat; si enim sit duplex obligatio, una tendendi ad perfectionem, alia observandi vota: ergo qui peccat contra votum, committit duplex specie peccatum: recte tamen notat Castr. *n. 7.* talem per accidens sæpe contrahere mortale, vel ratione scandali, vel per contemptum Regulæ, vel quia reddit se Ordine indignum, vel quia causat grave damnum communitati, minuendo Regularem observantiam. Vide dicenda *l. 5. n. 214.* 60

Quæst. 13. Quid notandum sit circa novitiorum obligationes, & privilegia? R. Seq.

§. 1. Quamvis Regulæ alicujus Ordinis obligarent professos sub peccato, tamen non obligant novitios, Suar. Sanch. Castrop. *t. 16. d. 1. p. 10. n. 5.* Ratio est, quia nec tenentur ex obedientia, cum eam non voverint; neque ex debito uniformitatis, quia ad hanc tenentur tantum illi, qui professi sunt talem statum; neque ex statu ipso probationis, qui non plus obligat ad Regulas, quam status catechumeni ad præcepta Ecclesiæ; tenentur tamen ad pœnas subeundas, si delinquant, partim quia hoc concedit Ordini Papa, ut novitii probari possint, partim etiam quia se tradiderunt gubernandos Religioni, & sub ea conditione instruuntur ac sustentantur: atque hoc forte vult Laym. *l. 4. t. 5. c. 5. n. 3.* dicens novitios obligari justis præceptis Prælatorum, convenienter ipsorum statui impositis, subjiciuntur enim spirituali eorum juridictioni, & alias tanquam vagi haberentur, quod videtur alienum ab Ecclesiastico regimine. 61

§. 2. Superior non potest novitium sub peccato obligare ad ea, quæ tantum sunt consilii & perfectionis, quia novitius nec vovit illi obedientiam, nec obligavit se ad perfectionem, sed tantum probat statum perfectionis, deliberans an eum amplecti velit necne: unde Superior tantum ita potest obligare novitium, uti Prælatus Ecclesiasticus suos Clericos, quia novitii per ingressum subjiciunt se Superioribus, uti Clerici Prælatis, quoad pœnas. Estque probabile, novitium, qui deliquit, teneri subire pœnam, antequam egrediatur, uti docent Suar. & Castrop. *n. 7. & 8. contra* Sanch. 62

§. 3. Quamvis novitius faciat aliquid contra materiam votorum, v. g. contra castitatem, non ideo contrahit sacrilegium; quia nulla tenetur speciali obligatione votorum Religionis, *Suar. Sanch. Castrop.* & constat ex dictis. 63

§. 4. Si novitius Ordinis exempti commiserit peccatum, quod in illa Religione est reservatum, docet Castr. *n. 9.* quamdiu in novitiatu manet, non posse absolvi a quocumque, sed tantum ab habente potestatem in reservata talis Ordinis, quia Papa eximens Ordinem a jurisdictione Episcoporum, etiam censetur eximere novitios, quos Ordo complectitur: & licet hæc exceptio videatur aliquo modo novitios præjudicare, tamen absolute favorabilis est, cum secum trahat multa alia privilegia novitiis propter Ordinem communia: putant tamen etiam multi apud Dicast. *de cens. d. 3. n. 596.* & cum Dian. *p. 3. t. 2. R. 2. & 110.* peccata novitiorum non esse reservata, quia ante professionem videntur esse instar sæcularium; & idem videtur tenere Pelliz. *t. 10. c. 10. n. 167.* ubi dicit Confessarium novitii, vel novitiæ non indigere speciali approbatione Episcopi, sed posse confiteri alteri non aliter ac sæculares; quamvis enim ad Confessiones Monialium requiratur specialis approbatio, tamen per has intelliguntur Professæ, cum To Moniales, sumi debeat stricte. 64

§. 5. Satis probabile est, quod omnia privilegia Religiosis in genere concessa, etiam participentur a novitiis, quia licet Religiosi non sint, tamen communi nomine appellantur, & in favorabilibus censentur Religiosi: Suar. Mol. Sanch. & alii cum Castrop. *p. 11. & Dian. p. 3. t. 2. R. 37. contra* Rodriq. & Portel. 65

Q. 14. Quid notandum sit circa clausuram Monialium? R. Seq.

§. 1. Moniales sunt immediate subjectæ, vel Papæ, vel Episcopis, vel Superioribus Regularibus; & harum aliquæ sunt, aliquæ non sunt exemptæ a jurisdictione Episcopi: Et quidem putant Piasf. *p. 2. c. 3. art. 7. n. 2.* Zerola, Barb. *de potest. Episc. alleg. 102. a num. 5.* & alii cum Castr. *t. 16. disp. 4. p. 9. num. 7.* omnes Moniales etiam exemptas subjectas Regularibus, etiam subesse Episcopis quoad clausuram, qui eum in finem possint eas semper visitare, & cogere, ut clausuram observent, quia sic videtur statuere Bonif. VIII. in Constit. *Periculoso, c. un. de statu Regularium in 6.* quam renovant Trid. *sess. 25. c. 5. de Reg.* & S. Pius V. in Constit. *Circa Pastoralis*, apud Piasec. *supra*, & Bar. *a num. 11.* sed probabiliter contradicunt Nav. Llamas & Sanch. *in Decal. lib. 6. cap. 15. num. 21.* aliique apud Barb. *num. 6.* quia in Constit. Bonifacii expresse dicitur, ut Episcopi id curent in Monasteriis sibi, & Sedi Apostolicæ immediate subjectis, Abbates autem, & alii, tam exempti, quam non exempti in Monasteriis sibi subjectis. Quia tamen Pignat. *tom. 6. consult. 75. a numer. 17.* affert pro prima sententia multas declarationes, videtur illa standum. 66

§. 2. Præcipiunt Bonif. VIII. Trid. S. Pius V. Greg. XIII. Paulus V. ut clausura conservetur, aut ubi non est, inducatur in Monasteriis Monialium: quæ decreta innovavit Alex. VIII. suntque recepta in plerisque Diœcesibus, nominatim in Colonien- 67